

Alte Drucke

Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. CIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-173812

P S A L M. CIII.

S E U

Benedictio Pauperis, vel Miseri, à sua Miseriâ redempti, quâ omnes
 Animæ suæ vires, & omnes in universum Creaturas ad bene-
 dicendum Domino ejusque opera omnia enarranda con-
 vocat: & hoc illud *Aurum preciosissimum* est, de
 quo Psal. LXXII. 15. innuitur.

*Attribuendus autem hic Psalmus ipsi CHRISTO, Vero isti Davidi, cujus
 Anima ut dolores nostros tulit, ita Gaudia nostra dicit.*

1. **E**UGE Anima, ac imis quicquid penetralibus extat,
 Da JOVÆ laudem, vota que redde tua.
2. Da JOVÆ, nec te deses Oblivio fallat,
 Quo minus enarres omnia Facta tibi.
3. Qui tibi, Delictis (velut æris mole) gravato,
 Omnia condonat Debita gratuito:
 Quique Animæ morbos semper tibi sanat, & omnem
 Penitus abstergit consolidatque luem.
4. Qui vitam è foveâ tibi reddit: quique coronat
 Ereptum, sermo nobiliore, Caput.
5. Quique Bono satiat pectus, renovatque juventam,
 Non secus ac Aquila vis renovata redit.
6. Cunctis Iustitiam est faciens Iova, & sua cuique
 Oppresso reddens tempore jura suo.
7. Mandavit Mosi Legis præcepta, deditque
 Abramidum Genti Facta videre sua:
8. Ex quibus est notum, quantus Miserator Iova,
 Quàm Clemens, Irâ tardus, & usque Pius:
9. Quàm minime Irarum longinqua in secla recordans,
 Eternùm plectens quæ semel acta male.
10. Quin

10. *Quin quando Delicta fuit punire necesse,
Non tamen id fecit Criminis ad meritum :
Nec pro jure suo pœnas inferre coevas
Ipsius æternis temporibus voluit.*
11. *Sed voluit potiùs nostrum Miserator Iova,
Ut sua JUSTITIÆ GRATIA prævaleat.
Et tanto voluit spatium Misericordis Amores
Sævitiæ metas exsuperasse suas,
Quantò supremi superant fastigia Cæli,
Exiguum Terræ Terricolùmque Globum.*
12. *Et modò quis tandem Virgâ correptus, amare
Deploret culpam justificetque Deum ;
Protinus offensas tantum removebit]OVA,
Quantum Sol Oriens distat ab Occiduo.*
13. *Qualia sunt passim genuini viscera Patris
Erga suos Natos filiolasque suas :
Talia sunt nobis, nobis mage talia multò,
Viscera sacra Dei, se timeamus Eum :*
14. *Novit enim quàm sint hominum figmenta caduca ;
Quodque ipsi nil quàm pulvis & umbra sumus ;*
15. *Quodque dies nostri cursu, velut herba, rapaci,
Historiam absolvunt, prætereuntque citò :*
16. *Nunc etenim florent, sed mox à turbine venti
Prostrati, florum gloria tota cadit.*
17. *At Misericordis Amor Iovæ per sæcula durat,
Immotusque manet quicquid ei acciderit.*
18. *Idque super cunctos, qui se quandoque timebunt,
Et fracta ad Cælos corda levare volent :
Iustitiæ verò vigor is, quo Præmia Sanctis,
Atque his qui Pacti jus coluere dabit ;
Non solum in Seipsis per sæcula cuncta manebunt,
At etiam in serâ prole, jubente Deo.*

19. JOVA suum in Cælo Solum stabilivit ; at inde
Omnibus & Terris & dominatur Aquis,
 20. Dicite ei Laudes ! & ei bis dicite Laudes !
Cælorum Cives Angelicique Chori,
Vos quibus est promptum voci parere I E H O V A E,
Nunc quoque ferte Dei laudibus obsequium.
 21. Dicite iò, quicumque Deum reverenter habetis,
Ejus gaudentes obsequio jugiter.
 22. Dicite iò quocunque loco sua Facta patefcunt,
Quà patet Imperii terminus usque sui.
Tuque Anima ac imis quicquid penetralibus extat,
Da J O V A E laudem votaue redde tua.

Quemadmodum proximè præcedens Psalmus, conditionem & Orationem omnium Miserorum, qui pro tempore à facie Dei repelluntur exhibiturus, supplicationes, quas effundent coram Domino, non ponit in plurali, sed in singulari numero; velut de unâ aliquâ personâ tantum ageretur, de unico *paupere*: Ita hic quoque, ubi nobis Spiritus S. gratitudinem illam & laudem est expressurus, quâ quicumque ex hac Misericordia exaudientur & redimentur, in Deum ferentur, id iterum facit in singulari numero, tanquam per unicum hominem. Quis autem est iste homo? nisi verus iste David, Filius ille hominis, de quo affirmatur, Psal. LXXX. 18. *Deum sibi eum roborasse, non solum ad reducendum Primicias hominum, sed & totam humani generis massam*; non desistendo à revocando Filios mortis in vitam, donec quoque ipsam mortem aboleverit. 1 Cor. xv. Et si quidem unus pro omnibus hanc gratiarum actionem debebat offerre, si uni hæc laudis celebrandæ provincia est demandanda, cui-nam quæso, melius competet, quàm ei qui idem homo factus est, ut non solum pro nobis fieret. Peccatum, sed etiam (idque præcipuè) ut fieret nobis Justitia nostra, & illam Deo pro nobis, & in nobis, gratitudinem offerret, & laudem quam nos ei debemus! Intrat igitur heic ipse Salvator Mundi, eique loqui datur, velut in personâ omnium redemptorum, dicendo: *Benedic anima mea Jehovah, &c.* In quo Psalmo quinque notabimus Capita.

- I. Formulam Laudis, seu Benedictionis, expressam, vers. 1, 2.
 II. Beneficiorum gratiæ (cuiuslibet animæ in particulari præstitutorum) Relationem. vers. 3, 4, 5.
 III. Beneficiorum Justitiæ in genere. vers. 6, 7, 8, 9, 10.
 IV. Fontis omnium Beneficiorum Demonstrationem, nempe Benignitatis Dei latius expressæ. vers. 11, 12 — 19.
 V. Laudis Repetitionem & amplificationem. vers. 19, 20, 21, 22.

Quòd *primum* attinet, illud habemus in hisce, quæ verus David, in quolibet Redempto, & ex omnibus miseriis eruto, homine loquitur, verbis cum dicit.

1. *Benedic Anima mea Jehovah, & omnia interiora mea Nomini Sanctitatis ejus.*
2. *Benedic anima mea Jehovah; & ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus.*

Verbum בְּרַכָּה interpretatum *Benedic*, propriè significat incurvare genua, adeoque in S. Scriptura sumitur passim pro actione, quâ DEO gratitudinem testamur: sive id fiat genu-flexione, sive humili & contriti Cordis oblatione, prout heic occasio & mens hujus Psalmi secum ferunt. Quid enim hominem, ex tali miseriâ, Psalmo CII. descriptâ, solâ DEI gratiâ & misericordiâ erutum, aliud deceat, quàm Animam suam excitare, & quicquid in se est ed provocare, ut flexis genibus & corde humiliato DEUM laudet, & Sanctum Nomen ejus, celebret, dicendo: *Benedic Anima mea Jehovah?* Quod autem additur וְכָל-קִרְבִּי & *omnia interiora mea*, seu quæcunque in medio mei sunt, exprimit plenitudinem Laudis respondentem redemptionis plenitudini: quamvis enim præcipuè Anima fit, quæ liberata erat, prout illa quoque ea fuit, in quam & Peccatum, & per consequens Miseria & Mors, transierant; sunt tamen in Animâ vires & facultates variæ, & præter Animam aliquid superius & inferius Animâ: suprà est Spiritus hominis, infra Corpus ejus cum omnibus corporalibus & sensualibus potentiis. Omnia hæc meritò ad DEI laudem provocantur, utpote in redemptione hac partem suam habentia. Spiritus hominis, ut qui unâ cum Animâ in angustiis hæsit, excitatur hic ut simul cum Animâ DEUM laudet; & Corpus, ut quod unâ cum Animâ multis obnoxium fuit miseriis, similiter admonetur ad DEUM cum animâ laudandum. Quæ tria in CHRISTO clarè distincta videmus Psal. xvj. ubi dicitur: *Pono Jehovah coram me semper: quia à dextera mea est, non movebor. Propterea latatum est Cor meum*, (id est Anima mea) *& exultavit gloria mea*: (id est Spiritus meus) *etiam Caro mea*, (id est Corpus meum) *habitabit confidenter.* vers. 8, 9. Et in Cantico B. Virginis, priusquam adhuc Corpus suam miseriâ subiisset, recordatur Virgo duarum priorum partium, quando dicit, *Magnificat anima mea Dominum, & exultat Spiritus meus super Deo Salvatore meo.* Luc. i. 46. At heic, in hoc Psalmo, quando se totus homo, in Spiritu, Anima & Corpore, ereptum inveniet ab omni miseriâ, meritò ad animam, & quicquid in se est, dicit *Benedic Jehovah.* Quibus verbis bis repetitis subjungitur vers. 2. *Et ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus.* Hoc ipso innuendo, non satis esse, ut quicquid in nobis est DEUM Benedicat, nisi quoque omnia ejus beneficia in memoriam revocemus & recenseamus; nisi etiam sigillatim ad omnia animum advertamus, absque eo ut quicquam obliviscamur. Nota quæso, quanti momenti sit hæc res oportet, quod aliquando etiam omnia illa, quæ DEUS animæ contulit, Beneficia, sive in Spiritu & Anima, sive in Corpore, utcunque exigua videri potuerint, & minus animadversa, iterum ad unum omnia, in memoriam erunt revocanda, absque eo ut quicquam prætereatur aut oblivioni tradatur? Nam si quicquam prætermitteretur, de quo sua DEO laus intercideret, necessariò alterutrum sequeretur: vel quòd DEUS non operetur omnia propter seipsum, hoc est, ut ex operibus suis ipsemet agnosceretur & benediceretur; ut docet Salomon, *Prov. xvj. 4.* vel quòd nec heic, nec in futuro, unquam assequetur DEUS quod operibus suis intenderat;

rat; adeoque illa saltem, quæ oblivioni tradita erunt beneficia, si ustrâ operatum fuisset. Quod absurdum esset de Viro Sapiente & Prudente, quanto magis de ipso DEO, omnis Sapientiæ & Prudentiæ fonte, sentire seu opinari. Equidem fateor, DEUM heic, in præsentis vitæ varia sæpe beneficia animæ conferre, quorum homo vix quicquam, vel sensu, vel cognitione percipiat: Sed quod heic minus sentitur, vel cognoscitur, id oportet in futurâ vitâ clarè manifestetur, & quàm-maximè pro merito agnoscatur & æstimetur, absque eo ut quicquam præterea-
tur. Non enim, (Teste ipsa Veritate, Marc. IV. 22.) *quicquam occultum est quod non manifestandum sit: non enim fit quid ut absconditum maneat; Sed ut in apertum veniat.* Nunc, quamdiu in hac vitâ hæremus, cognitio nostra, & per consequens quoque gratitudo nostra, non est nisi ex parte & imperfecta: Sed posthac, in Regno CHRISTI, Deum cognoscemus prout ille nos cognovit; Et quemadmodum cognitio nostra perfecta erit, ita & gratitudo & laus nostra, seu benedictio perfecta erit, nullâ mutilata vel minimi beneficii oblivione. Hæc igitur quoad Formulam Laudis seu Benedictionis. Sequitur

Secundum hujus Psalmi Caput, quod est quædam Beneficiorum gratiæ, cuiuslibet animæ in particulari præstitorum, Relatio: quæ continetur his verbis

Verf. 3. *Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes Infirmities tuas.*

4. *Qui redimit de foveâ vitam tuam, qui coronat te in misericordiâ, & miserationibus.*

5. *Qui satiat Bono os tuum, & renovatur, ut aquila, Juventus tua.*

Qui ligillatim omnia Animæ cuique præstita Beneficia enumerare vellet, & quicquid ipsi à Domino, toto vitæ suæ tempore, boni contigit, recensere nitetur; nã ille majora moliretur quàm præsentis temporis conditio ferat: isti negotio Æternitas debetur, ideoque CHRISTI Regno, quod æternum est futurum, & in quo omnia DEI opera erunt manifestanda, reservatur. Interea tamen, ut ejus specimen aliquod daretur, en verum heic Davidem audiamus, sub sex distinctis Capitibus omnia illa, quæ DEUS animæ præstiterit, Beneficia, summam comprehendentem; horum

I. est, *Remissio peccatorum.* verf. 3.

II. est, *Sanatio omnium Infirmorum.* Ibidem.

III. est, *Redemptio vitæ de foveâ perditionis.* verf. 4.

IV. est, *Coronatio in Misericordiâ & Miserationibus.* Ibid.

V. est, *Satiatio seu Satietas in bono.* verf. 5.

VI. est, *Renovatio Juventutis ut aquila.* Ibid.

En, hæc sunt generalia illa Beneficiorum, quæ DEUS unquam Animæ, in materia Redemptionis præstitit, & de quibus hoc ipso Psalmo aliquando benedicitur Capita. Primum est, Peccatorum remissio, velut Redemptionis initiatio aliqua, *Qui remittit omnes Iniquitates tuas.* Quàm autem hæc res gratitudinem mereatur, norunt optimè illi, qui maximè sub onere Peccati unquam anhelarunt; adeoque intelligunt quid sibi velit illud Psal. 32. 1. *Beatus cui dimissa est pravaricatio, cui restitutum peccatum.* Item illud Dilecti Discipuli, *Filioli, vobis scribo, quia remissa sunt vobis peccata propter nomen ejus.* 1 Joh. 11. 12.

Ast posito, DEUM semel omnia mea peccata mihi remississe, & gravi isto onere me sublevasse, nã tamen interea me quoque ab Infirmatibus meis, unde

oriuntur peccata, sanaverit, parùm profecerit; quum nova, quæ post peccatorum remissionem commiserit peccata, me non minus affligere & gravare possent, imò & magis multò quam fecerant vetera: idèd & heic subsequitur quoque Infirmitatum hominis Sanatio, *Qui sanat Infirmitates tuas.* Et quam hæc res gratitudinem mereatur, maximè id norunt, qui maximè id experti sunt. Magnum quid profectò erat, & meritò hominum corda ad Deo gloriam dandum, potenter afficiebat, quòd Christus dum in Carne versaretur, omnium hominum corporales infirmitates sanabat; Sed quanto majus quid, & quanto potentius ad Deo gloriam dandum, corda hominum afficiet, quando jam Anima senserit, sibi omnes Infirmitates à Deo sanatas esse?

Iterum positò, Deum me gratià sua ita fulcissè, ut pristinas infirmitates meas non perciperem amplius, & interea tamen quoad fundum animæ nondum à Perditiōe essem liberatus; non utique adhuc liber omnino manere possem ab Infirmitatibus meis; ideo & subjungitur hic tertium quid, & majoris notæ, nempe *Redemptio à perditione*, cum dicitur vers. 4. *Qui redimit de foveâ vitam tuam.* id est, de foveâ perditionis. Quam autem gratitudinem id mereatur, quando tandem Anima seu Vita hominis, etiam ex perditione & morte erepta, & ad statum seu conditionem incorruptibilitatis translata erit, quis fando exprimet?

Sed, datò, quòd jam Anima è foveâ sit redempta & libera ab omni peccato; utpote Deo devota, & quæ sunt spiritus sapiens; non ideo statim omni Misericordiâ & Miserationibus, velut Coronâ decorata est; neque omni Bono satiata, nec in Spiritus renovatione aded exaltata, velut Aquila: Quocirca & hæc tria, quibus meritò ad summum gratitudinis apicem Anima evehitur, heic subnectuntur, I. *Qui te coronat in misericordia & miserationibus.* vers. 4. II. *Qui satiat Bono os tuum.* & III. *renovat, ut Aquila, juventutem tuam.* vers. 5. Anima scilicet quæ semel è foveâ perditionis erepta, tota consistit in regeneratione, illa tunc Misericordiâ & Miserationibus Dei, velut Coronâ, decoratur, accipitque à Deo potestatem, omnia ad normam divinæ voluntatis dirigendi.

Deinde, quando jam Anima magis magisque bonum appetit, justitiamque sitit & esurit continuò, ut in eâ indies succrescat & fortificetur, tandem denique satiatur Bono. Quà quidem satietate in eâ adimpletur illud Esa. XL. 31. ubi de iis qui Dominum præstolantur, dicitur: *Quod mutabunt robur, ascendent alâ sicut Aquilæ: current & non lassabuntur; ambulabunt & non fatigabuntur.* En, hæc sunt Gratia Beneficia unicuique Redemptorum Animæ sigillatim præstita; quò respicit hæc Benedictio seu gratitudo! Sequuntur Justitiæ Beneficia, oppressis præstita, vers. 6, 7, 8, 9, 10.

6. *Facit justitias Jehova, & Judicia omnibus quibus vis infertur.* 7. *Notas fecit vias suas Moysi, Filiis Israël opera sua.* 8. *Misericors & clemens Jehova, longus irâ. & multus misericordiâ.* 9. *Non in seculum contendit, nec in seculum servat iram.* 10. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Quasi diceretur,

Hæc-

Hactenus benedixi Dominum de omnibus Gratiae suae beneficiis Animae meae praestitis, quod à Peccato & Perditione redemptus, & Misericordiâ Miserationibusque suis coronatus sim : At nunc etiam confiteri debeo, quod quaecunque Deus **יְשׁוּעָה** h. e. omnibus oppressis vel Bonis Gratiae destitutis praestiterit, ea omnia nihil aliud esse quam *Justitiam & Judicium*. Quas quidem Justitiae & Judicii vias Moysi notas fecit : utpote Levit. xxvi. 14, 15, &c. D. ut. xxviii. 15, 16, 17, &c. indicatas eis, quide eis obveniret, nisi permanerent apud Dominum eique obedirent.

Et quidem hae ejus Opera, seu Justitiae effecta & Iudicia, in Populum Israelitis toties exercuit, quoties eos in manus Inimicorum tradidit; Non tamen eo sensu, ut ibi semper & in æternum manerent : sed tantum usquedum cum Paupere hoc Psal. ciii. 1. Orationem suam coram Deo effundant, sua peccata deplorantes & Deum in suis Iudiciis justificantes, dicendo, *Misericors enim & Clemens est Jehovah, longus Ira, & multus misericordiâ*. Talis quippe est Natura ejus, & tales sunt ejus proprietates essentiales; ideoque, licet pro tempore contendat nobiscum, & propter peccata nostra irâ quandoque effervescat, non tamen idcirco semper contendet, nec in æternum Iram suam servabit. Quin, & quando, juxta Justitiam suam, necessarii in nos advertere debet, & aliquam Iniquitati nostrae retributionem reddere, non id facit pro rigore meriti & secundum Delicti gravitatem; sed cohibet se-ipsam, non excitat omnem iram suam Psal. lxxviii. 38. *Nec facit secundum Irae suae furorem*. Hos. xi. 9. *Sed etiam in Ira sua recordatur Misericordiae suae*. Hab. iiii. 2. Si autem scire vis, unde haec animi teneritudo & parcendi studium; id te docebit Quantum hujus Psalmi Caput, quod verbis hisce continetur. vers. 11, 12, &c.

11. Quoniam secundum altitudinem Caeli super Terram, roboravit Misericordiam suam super timentes se. 12. Quantum distat Oriens ab Occidente, distare fecit à nobis praevaricationes nostras. 13. Quomodo miseretur Pater filiorum, miseretur Jehovah timentium se. 14. Quia ipse cognoscit figmentum nostrum, recordatur quod pulvis sumus. 15. Hominis sicut herba sunt Dies : sicut flor agri, sic floret : 16. Quoniam ventus transit in illum, & non est, nec cognoscit eum ultra locus ejus. 17. MISERICORDIA autem JEHOVA à seculo usque in seculum super timentes eum, & Justitia ejus super filios filiorum. 18. Super custodientes Pactum ejus, & eos qui recordantur praeceptorum ejus ad faciendum ea.

En, ibi fontem vides, unde illa in Deo animi teneritudo, quae facit, ut non semper cum misello homine contendat, vel Iram suam in eum perpetuo servet; & cur non puniat pro rigore, nec pro merito in offensa animadvertat : nempe ob Misericordiam suam, quam Psalmista heic I. Describit à propria ejus naturâ, vers. 11, 12. II. Illustrat duabus similitudinibus. vers. 13, 14, & 15, 16, 17, 18.

Quod attinet Misericordiae Dei naturam, illa tam longè & immenso spatio exaltatur super timentes se, ac Caeli super Terram. Constat autem, quam Astronomi immensam Caeli altitudinem supra Terram adscribant : Inprimis si hoc verum est, quod prætendunt, Totum nempe Terræ globum non esse nisi

Puncti instar respectu Sphæræ Saturni; & Sphæram hanc Saturni in suo circuitu cum Planetarum omnium Orbibus sub se comprehensilis, non esse nisi Punctum respectu Cœli superioris, quod Firmamentum vocamus, & in quo fixæ stellæ & duodecim Zodiaci Signa visuntur. Hoc, inquam, si ita est, quid dicemus de hoc Tertio Cœlo, de quo procul dubio hic locus intelligendus! Quàm parum igitur Terra Cœlos comprehendere aut complecti valet; tam parum quoque comprehendere potest homo, Bonum illud seu Misericordiam illam quæ in DEO est, super timentes se.

Obj. At, dicit quis, Misericordiam DEI esse magnam super se timentes, & majorem quàm quis arbitratus fuerit, facile concipi posset: Sed heic, hoc in Textu, videtur Psalmista loqui de Domino, respectu eorum, quibuscum contendit, & super quos justa ejus Ira accensa fuit; quando dicit: *Non semper contendet, nec in sæculum servabit iram.* Item, *Non secundum peccata fecit nobis, &c.* Adeoque de iis videtur loqui, qui Dominum non timent, & eatenus justè puniuntur. Quomodo igitur heic præcedentium ratio redditur (prout vocabulum *Quoniam* implicat: *Quoniam secundum altitudinem Cœli, &c.*) & quomodo hæc demonstratio erit Misericordiæ DEI super eos quibuscum contendit, & in quos propter peccata eorum iram suam effundit, id est, *super non timentes se?*

Resp. Duplicem dari DEI Timorem, alterum Filialem ex mero amore perfectum; alterum Servilem, ex merâ necessitate enatum. Iste principium dicitur omnis Sapientiæ, Psal. cxj. 10. Prov. i. 7. & ix. 10. Vitæ scaturigo. Prov. xiv. 27. Et omnium Virtutum thesaurus. Esa. xxxij. 6. Hic verò non nisi ad hæc præparatio quædam est; quo nomine monentur Reges Terræ, ut Domino serviant in timore, Psal. 2. 11. velut potentiâ & irâ ejus perterriti, & eatenus se coram eo humiliantes, eique obedientes.

Cùm igitur mentio heic sit eorum qui Dominum timent, diciturque, quod Misericordia Domini super eos roboratur aut exaltatur, prout Cœli exaltati sunt super Terram; id propriè intelligendum, non tam de Filiali Timore, contra quem DEUS non contendit, nec irascitur unquam; Sed de Servili illo Timore, quò homo, Iræ DEI vivo quodam sensu affectus, sese coram eo humiliat, & quoad potest ad ejus obedientiam se componit. Quò enim ira & indignatio DEI magis cordi habentur, eò magis eum timemus: & quò magis timetur DEUS, eò magis se homo à peccatis continet, & eatenus quoque gratiæ & Misericordiæ susceptibilior fit. Hinc est quod Moses (prout supra ex Psal. xc. 15. audivimus) exclamabat, *Quis cognoscit fortitudinem iræ tuæ? & quod sicut Timor tuus, ita Ira tua erit?* Quod enim homines tam rarò DEUM timent, non procedit aliunde, quàm quod fortitudinem & terrorem Iræ ejus non nòrint. Quocirca si unquam Timor DEI, & per consequens ejus Misericordia, in homine locum obtinebunt, id oportet fortitudo Iræ ejus efficiat. Quò quidem in Piis fieri in hac vitâ videmus, quocirca & ab Ira venturâ præservantur: at Impii, qui in hac vitâ DEI iram non agnoscunt, adeoque nec DEUM timent, illi sunt super quos post hanc vitam Ira Dei venire debebit. Quomodo autem super hos quoque, quando tandem aliquando ex vivo Iræ & Indignationis divinæ sensu, ad illum Dei timorem qui requiritur, & Psal. CII. describitur, pervenerint,

rint, Misericordia Dei exaltabitur sicut Cœli supra Terram; adedò omnem hominum omnium spem & cogitationem transcendens; hoc illud est, quod heic propriè intenditur, & quò respicit illud *Quoniam*, ubi dicitur *Quoniam secundum altitudinem Cœli*, &c. Ostendens, quomodo ejus Misericordia etiam super eos feratur, quibuscum ob peccata contendit, & in quos Iram suam effudit. Quod reverà grande Mysterium est.

Deinde, nec minus Mysterium est, quod heic Psalmista præterea de propriâ Divinæ Misericordiæ naturâ subjungit, vers. 12. quando de hisce iisdem hominibus, quibuscum contendit, & in quos ob peccata eorum Iram effudit, affirmet, se prævaricationes eorum tam longè ab ipsis remoturum ac distat Oriens ab Occidente: dicendo: vers. 12. *Quantum distat Oriens ab Occidente tantum distare fecit à nobis prævaricationes nostras.* Quali diceretur;

Tantum abest, ut Deus in sæculum cum misello homine contenderet & Iram ei in æternum servaret; vel ut æternâ pœnâ plecteretur, quæ contra Eum, Æternum Deum, offensa essent commissa; prout sustinent quidam: Quum Misericordia seu Benignitas Dei talis sit, ut nec in Irâ suâ aliud quicquam intendat, nisi Animarum à peccatis redemptionem, & prævaricationum nostrarum tam longè à nobis remotionem ac distat Oriens ab Occidente. Hoc autem ubi fit, quomodo ibi Ira locum amplius habere potest? Ubicunque prævaricatio sublata est, quid aliud ibi, quàm Dilectio, Pax, & Gaudium Spiritus S. & omnisfaria Benignitas, locum fortiri potest!

II. Quoad similitudines, quibus illustratur heic Dei Misericordia seu Benignitas, *Prima* desumitur à Patre, ejusque miserendi affectu erga filios, vers. 13, 14. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, miseretur Jehova timentium sè. Quia ipse cognoscit signantur nostrum, recordatur quod pulvis sumus.*

Quis nescit, quæ sit Misericordia Patris erga Filios? Quàm ægrè contra eos contendat, vel irascatur? & quando fortè necessitas exigit, ut gravem aliquam, vel doloriferam pœnam contra Filios suos decernat, nunquam id facere resolvet, nisi spe illos convincendi, atque ita in gratiam recipiendi, adeoque ipsis tandem benefaciendi. Et quamvis verè pius quispiam Pater millenos haberet Filios, modò virium & potentiaë satis haberet, ad omnes, sive hoc, sive illo modò, salvandum; non permetteret ut vel unus eorum periret, sed omnem potius & Potentiam & Sapientiam suam eorum salutii laret; etiam si Filius iste vel gravissimè contra eum peccasset: non minus quàm Absolon, qui Patrem suum è Regno expulerat, ejus Uxores violaverat, & insuper in vitam Patris vi aperta insurrexerat. Audi enim, quam adhuc Pater iste pro tali Filio curam gerebat, & quæ mandata Exercitus sui Ducibus de Juvene isto, cui parci voluit, dabat. 2 Sam. xvij. 5. Et quando tamen, præter & contra Maudatum, Joab non pepercisset, sed occidisset Juvenem, audi quæ lamenta & quos threnos super hunc filium effudit Pater, cum exclamaret, *Fili mi Absalom, fili mi, fili mi Absalom: utinam mortuus essem pro te! Absalom fili mi, fili mi,* 2 Sam. xvij. 33. En, ibi miserationes vides Patris mortalis, etiam erga ejusmodi Filium! Optabat propriam vitam dedisse, ut filium salvaret; & si Potentiaë & Sapientiaë satis habuisset quod eò conduceret, totum lubens impendisset. Quæ igitur erunt Miserationes Dei Vivi (ex quo omnis Paternitas

in

in Caelo & in Terra nominatur, Ephes. 3. 15.) super eos qui ipsum timent; David-ne adeo filii sui misertus fuit, quanquam tam iniqui, eumque Morti eripisset, modò per potentiam vel sapientiam id facere valuisset; quanto magis DEUS, JEHOVA, miseratione miserebitur suâ super eos qui peccata sua confitentes, & deplorantes, jugi oratione & supplicatione animas suas effundent coram eo, justificantes DEUM in omnibus Judiciis super se exercitis, prout faciunt qui hic dicuntur eum timere?

Præter hanc rationem ab affectu paterno desumptam subjungit Psalmista & hoc, vers. 14. *Quia ipse cognoscit figmentum nostrum, recordatur quod pulvis sumus.*

Quasi diceret, Notum ipsi est, quàm vanum & nullius subsistentiæ sit omne cordis nostri figmentum, quo iram ejus in nos provocavimus; & quòd ipsi non nisi pulvis & umbra simus. Sic enim malim verbum istud *פִּגְמֶנְטָא* figmentum nostrum, reddere; idque duabus de causis. Prima est, quia in eum sensum sonant verba Psal. LXXVII. 38, 39. ubi dicitur: *Ipse tamen Misericors condonavit iniquitatem, neque disperdidit: & multiplicavit ut averteret iram suam, neque excitavit omnem iram suam. Recordatusque est quòd caro essent, spiritus vadens & non revertens.* Quid enim per Carnem & Spiritum qui vadit & non revertetur, intelligi potest, quam figmentum & cogitationes hominis inanes? Altera causa, cur verbum hoc *פִּגְמֶנְטָא* non sumam pro opificio (ut Belgæ Interpretes) sed pro hominis figmento, est, quòd homo propriè DEI opificium sit, & proinde nobile quid & magnæ dignationis, quod necessariò restitui & restaurari debet; quod de figmento hominis dicere non licet; utpote quod instar pulveris prorsus evanescere debet, absque eo ut unquam revertatur. Quandoquidem igitur Ira & Indignatio DEI non ferantur nisi contra figmentum hominis, quod vanum est, & perire debet; non verò contra DEI opificium, quale ipse homo est; sequitur hinc, DEUM non semper cum homine contendere; nec Iram suam contra eum in sæculum servare posse: imo, quòd altius insurgunt contra eum peccata hominis, eò se DEI Miserationes erga Opus manuum suarum altius efferunt, haud secus ac Cæli super Terram.

Altera Similitudo, quâ nobis DEI Misericordia ob oculos ponitur, habetur vers. 15, 16, 17, 18. in his verbis: *Hominis dies sunt sicut herba: sicut flos agri sic floret: quoniam ventus transit in illum, & non est, nec agnoscit eum ultra locus ejus. MISERICORDIA autem Jehovæ à sæculo usque in sæculum, &c.*

Accomparatur heic miselli hominis Benignitas, favor & beneficentia cum Benignitate seu MISERICORDIA Domini. Illa dicitur citò transitura, haud aliter ac herba aut flos agri, qui è terrâ assurgit & floret; at superveniente vento radiore subito exarescit & cadit: adeo ut ejus locum non agnoscat amplius: Hæc verò, scilicet Benignitas, favor seu beneficentia Domini, nunquam est defutura, sed de sæculo in sæculum duratura, super timentes eum (prout supra meminimus) & iustitia ejus super filios eorum: super custodientes pactum ejus, & eos qui recordantur præceptorum ejus ad faciendum ea. Nota heic, quomodo præter Benignitatem seu Misericordiam, etiam Iustitiæ DEI heic mentio fiat super filios eorum qui ipsum timentur. Quo facto haud obscure innuitur, quòd etiam si deficeret ejus Misericordia erga eos, qui servili modo ipsum timent, & solummodo

modo metu poenae se coram eo humiliant (quod tamen fieri non posse ex Paterni affectus naturâ supra demonstravimus) Justitiam tamen ejus non posse deficere, quatenus semel ex gratiâ, iis qui pactum suum custodiunt, & præceptorum ejus ad faciendum ea recordantur, diserte promisit, se eorum recordaturum in Filiis Filiorum, & Misericordiam facturum eis usque in millesimam generationem. Exod. xx. 6. Atqui, posito, quod Primus Parens noster, *Adam*, inter eos censendus sit, qui Pactum Gratiae Domini custodiverint & præceptorum ejus, ad faciendum ea, recordati fuerint; exigit igitur, præter Misericordiam Dei, (quæ dicitur ferri super omnia opera ejus) etiam Justitia ejus, ut Filiis filiorum *Adami* Misericordiam faciat usque in Millesimam generationem: quod multo latius se extendit quam hætenus Mundus assequutus est. Ab *Adamo* enim usque ad *Noachum* (toto decursu prioris Mundi qui duravit annos 1656) non numerantur nisi decem generationes; & à *Noacho* usque ad *Abrahamum*, itidem decem; ab *Abrahamo* autem usque ad *Davidem*, quatuordecim, & à *Davide* usque ad *Captivitatem Babylonicam*, iterum quatuordecim; & à *Captivitate Babylonica* usque ad *Christum*, itidem quatuordecim: adeo ut ab *Adamo* usque ad *Christum* non numerentur ultra LXII. generationes. Et posito, quod pro annis 1668. qui à Christo nato effluxerunt, adderemus adhuc XXXIIX generationes; utique ad Centesimam tantum generationem pervenissent Filii *Adami* in hunc usque diem. Quod si verum est, & negari non potest, considera obsecro, quid sibi velit, quod dicatur DEUS, etiam secundum Justitiam suam, Misericordiam facturum Filiis Filiorum eorum qui ipsum timuerunt, usque in Millesimam generationem? Quemadmodum Promissum hoc, secundum DEI Justitiam, etiam in *Adamo* & Filiis ejus adimpleri necessarium debet, ita debet quoque impleri in *Abrahamo*, *Isaaco* & *Jacobo* eorumque Filiis; quemadmodum quoque in omnibus, usque ad hæc ipsissima tempora, qui similiter pactum Domini custodierunt, & præceptorum DEI ut ea facerent, recordati fuerunt; nec non & in Filiis eorum usque in millesimam generationem, adimpleri necessario debet. Unde manifestè colligere est, quid adhuc in futuro sæculo agendum restet, de quo parum cogitant, qui sibi persuasum habent, quod proximo Christi adventu totus Mundus igne conflagrabit, absque eo ut postea ulla in terris generatio sit futura.

Sed, ut falsæ huic persuasioni amoliendæ porro operam demus, transeamus ad Quintum hujus Psalmi Caput, quod est Repetitio Laudis ejus & amplificatio, consistens in hisce verbis vers. 19, 20, 21, 22.

19. *Jehova in Cælo præparavit thronum suum, & regnum ipsius omnibus dominatur.* 20. *Benedicite Jehovæ Angeli ejus fortes robore, facientes verbum ejus, ad obtemperandum voci Verbi ejus.* 21. *Benedicite Jehovæ omnes Exercitus ejus, Ministri ejus facientes voluntatem ejus.* 22. *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus: benedic anima mea Jehovæ.*

Laudis seu benedictionis hujus, quam Filius DEI in homine, Patri suo cœlesti heic affert, causa movens principalis est, illa Regni sui, tam in Terrâ quam in Cœlis, erectio & stabilimentum. vers. 19. *Jehova in Cœlis præparavit Thronum suum, & Regnum ipsius omnibus dominatur.*

Laudis istius *Coadjutores*, ad quos dirigit sermonem, ut in hac re animam suam comitentur, sicque omnia DE I laudibus impleant, Deique gloriam quam potentissimè efferant, sunt primò illi *Angeli*, qui quum in primævo synceritatis & obedientiæ statu persisterint, eò aptiores sunt ad DE I laudem undiquaque quam potentissimè propagandum. vers. 20. *Benedicite Jehovah Angeli ejus fortes robore, &c.*

Verè *Fortes Robore* nuncupantur Angeli, ratione Verbi quod fortes eos reddit, & vires administrat ad omnia quæ facere jubentur. Ita videmus 2 Reg. xix. 35. & Esa. xxxvij. 36. quod etiam unicuique Angelus Domini satis potens pollensque fuerit ad totum Assyriorum Exercitum qui Centum Octoginta & quinque Milibus hominum constabat, funditus profligandum: Quid igitur non efficient novem illi Angelorum Chori, seu istæ plusquam xxi. Legiones Angelorum, de quibus Matth. 26. 53. qui in hoc Regno, Magni istius Regis Satellites & Ministri erunt?

Deinde convocantur quoque pro Coadjutoribus, ut in hac re animam suam comitentur, sicque omnia DE I laudibus adimpleant, Deique gloriam quam potentissimè efferant, omnes illæ *Fidelium Cohortes*, quæ abdicatâ propriâ voluntate, se DE I voluntati conformare didicerunt: Qui *Exercitus & Ministri* Dei vocantur; idque in Terris respectu Angelorum qui in Cælis habitant: quandoquidem illo tempore omnia, tam in Cælo quam in Terra, & tam in Terra quam in Cælo, Majestate & gloriâ istius Regni plena erunt. vers. 21. *Benedicite Jehovah omnes Exercitus ejus, Ministri ejus, facientes voluntatem ejus.* Nam, nisi hos Ministros sumas pro hominibus in terrâ commorantibus, sed pro Angelis, de quibus supra: 1. Imputas Spiritui S. quasi bis idem repetiisset, idque citra necessitatem. Et 2. Excludis e consortio eorum, qui in Regno DE I Dominum laudaturi & benedicturi sunt, eos, quibus maximè competet Domino benedicere; nempe Homines illos qui tunc in Terrâ vivent, & juxta promissiones Abrahamo, Isaaco & Jacobo factas, eam hæreditario jure possidebunt.

Tertiò, In laudis seu benedictionis hujus adjutorium advocantur quoque omnia DE I Opera, in omnibus Dominii sui partibus. Ergò tam quæ in Terrâ quam quæ in Cælis erunt, quandoquidem etiam Terra, tempore Regni hujus, plena erit gloria ejus. Esa. vj. idque in verbis vers. 22. *Benedicite Jehovah omnia Opera ejus, in omnibus locis Dominationis ejus.*

Denique, excitis ad DE I benedictionem tam Cæli quam Terræ Incolis omnibus, venit tandem egregius ille *Psalter Israël* 1 Sam. xxij. 1. (Filius ille DE I & Redemptor Mundi) & ad calcem subjungit adhuc, quod in fronte seu Initio hujus Cantici dixerat, *Benedic anima mea Jehovah.*

En, ibi habes igitur expressam istius gratitudinis & benedictionis Imaginem, seu vivum exemplar, quam quæque anima, quæ se ex supradictâ Miseriâ liberatam reperiet, Domino est oblatura, ratione istorum sex generum Beneficiorum, quorum vers. 3, 4, 5. mentio fit, (ut sunt, 1. *Peccatorum remissio*, 2. *Infirmorum Curatio*, 3. *Vita ex perditione Redemptio*, 4. *Coronatio Benignitate & Misericordiâ*, 5. *Bonorum plena Satietas*, & 6. *Juventutis Renovatio*;) Quæ quidem Beneficia solam tangunt Animam; quæ, cum olim sub peccatorum onere pressa, humanis Infirmatibus afflicta, & in foveâ per-

perditionis conclusa fuerit, maximè huic Benedictioni apta meritò censetur.

In sequenti Psalmo continuatio quidem Laudis & benedictionis quædam est; Sed non tam respectu beneficiorum quibus Anima in se fuit affecta; verùm respectu restitutionis quæ in toto Terrarum Orbe in communi conspicietur.

P S A L M. CIV.

IN QUO

Anima ex omnibus angustiis erepta, & ad novam vitam renovata, de Statu quoque Mundi universi, in hominis gratiam renovato, tanquam de NOVA CREATIONE Deum laudat:

estque desinentium in יהוה הללו *Primus*: Non enim universalis hæc omnium in laudes Dei Symphonia locum habet, antequam Omnis CREATURA (hoc est universus Mundi status) restituta fuerit.

1. **E**uge Anima, ærumnis feliciter eruta cunctis,
Da Laudem JOVÆ, vota que redde tua.
Mi Deus, ô quantâ nunc Majestate refulges!
Quàm tua jam Mundo gloria conspicua est!
2. Non ultra in tenebris latitas, Cælique recessu,
Sed claro indutus Lumine ubique nites.
Nunc Cælos aperis, nobisque ut junctior adsis,
Æthereas sedem jam tibi ponis aquas.
3. Nubibus incedis splendentibus, & super alas
Ventorum Mundo conspicuus veheris.
4. Quamvis tunc Cælo inferior, nihilo minus omnes
Cælicolæ imperio stantque caduntque tuo.
Quandocunque jubes sunt instar Flaminis, & si
Iusseris, in Flammas se tibi conjicient.

I. OPUS
Dñi renovatæ.
FIAT LUX.